

† R. P. Patricius J. Carroll (1889-1932)  
(*Prov. Hibern.*)

R. P. Patricius J. Carroll, qui d. 9 Martii 1889 in Hiberniae oppido Pal-lasgreen, in archidioecesi Cassiliensi et Emeliensi, natus est, e vita excessit d. 10 Ianuarii 1932, festo S. Familiae, in vita et praesertim in diuturno morbo fortitudine et caritate insignis; quocirca de illo dici possunt verba Sapientiae (4, 13 s.): *Consummatus in brevi, explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius.*

Ab aetate tenera spiritum pietatis genuinum et studium litterarum sincerum, quibus in vita sua coronam praesertim meruit, exercere coepit. Quae pietas et discendi cupiditas eum etiam ad noviciatum nostrum ducebant, ubi vota emisit d. 8 Septembris 1907, et curriculo studiorum absoluto, ad presbyteratum ab Illmo J. Gilmartin, D. D., Episcopo Clonfertensi, promotus est. Postea Lector theologiae dogmaticae nominatus, etiam linguam Anglicam, declamationem, musicam studentes nostros docebat.



Anno uno cum copiis Britannicis in exercitu occupationis transacto et noviciatu secundo feli-citer terminato, Pater Carroll a. 1923 Director confraternitatis S. Familiae, quae in ecclesia nostra civitatis Belfast floret, designatus est. Ibi usque ac mensem Aprilem 1927 zelo ardentи laboravit et opera egregia perfecit. Cursus contionum peculiares diligentissime praeparabat, tractantes de rebus theologiae dogmaticae et moralis, S. Scripturae, sacrae liturgiae, historiae ecclesiasticae, et stilo quidem tam perspicaci, argumentis adeo profundis, ut concursus frequentissimus ad conventum hebdomadarium fieret, et tantopere crevit numerus sodalium, ut a. 1925 necessarium esset in duas partes confraternitatem dividi. Illo tempore etiam scripsit, ut sodalibus consuleret, duos libellos: librum hymnorum, ex aliorum scriptis compilatum, et vitam Henrici Belletable, qui, cum Archiconfraternitas Leodii fundata est, inter primos eminebat. Ad memoriam horum operum spir-itualium in confraternitate stabiliendam sodales d. 2 Iulii 1928 curaverunt, ut effigies S. Familiae in parte primori ecclesiae poneretur.

Pater Carroll autem potius patiendo, quam laborando, animas salvare debebat. Quamvis Consultor Rectoris et Minister bis electus esset, tamen ob cancrum, nomine sarcoma, factum est ut quasi otiosus diuturno martyrio morti appropinquarat. A mense Augusto 1927 usque ad mensem Iu-

lium 1930 propter hunc morbum malignum a medico undecies sectus est. Hisce in sectionibus dolores, nedum verbis augeret, potius minuebat, quamvis semel sectionem sine ullo auxilio anaesthetico tulerit. Tam fortem, patientem, hilarem sese praestabat, ut omnes, qui videbant, mirarentur, neque potest dubitari, quin talibus doloribus animam purgaverit, robora-  
verit, sanctificaverit. Nemo unquam eum audivit querentem de sua for-  
tuna, e contra semper divino beneplacito oboediebat. Semper paratus erat  
de rebus spiritualibus colloqui, praesertim de gaudiis aeternis. Verba  
S. Pauli: *Oculos non vidit... ei erant solacio felicissimo.* Missae sacrifi-  
cium sacrosanctum erat ei causa magnae laetitiae, verum inde ex fine anni  
1931 diutius celebrare non poterat, quamvis benignitate Paternitatis Suae,  
Rñi P. Generalis, a S. Sede veniam accepisset, qua sibi sedenti Missam  
celebrare liceret; nam propter debilitatem et morbum gravescentem nun-  
quam ea uti potuit.

Quando mors appropinquabat, gavisus est. « Mors est sicut sectio  
quaedam », inquit, « de qua quis prius cogitare timet, sed re facta con-  
gaudet ». Tandem, uti supra diximus, die festo S. Familiae requievit in Do-  
mino. Vitam suam Deo verbis sequentibus obtulit: « Mortem cum dolo-  
ribus poenisque accipio, ut pro meis et mundi peccatis satisfaciam ».

R. I. P.